



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

Totivs Operis Argvmentvm Ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

TOTIVS OPERIS ARGVMENTVM AD LECTOREM.



Ec multa, nec noua sunt (candide Lector) quæ præmittenda duximus his nostris secundis lucubrationibus de Verbi incarnati mysterijs, cum disputandi methodum, scribendique modum quem in priori opere continenter seruauimus, in hoc etiam posteriori studiose persequuti simus. Quauis (ingenue fatear) longius disputatione mea progressus sum, quam videretur consuetudo Scholastica postulare, quod vt facerem vel inuitus, rationes me grauissimæ compulerunt. Ecquis enim tam erit in dicendo ieiunus, vel in scribendo inops, vt de amplissima dignitate, de moribus excellentissimis de admirabili vita, & gratia beatissimæ Virginis dicturus, breui id, & compendioſo sermone percurrat? Mihi profecto hoc in genere sæpe visa est Theologia nostra (vt modeste dicā) breuis admodum, & concisa cum materiæ dignitas, & amplitudo cum summa voluptate, eruditione, atque vtilitate coniuncta, longe aliud à viro Theologo postulare suo veluti iure possit. De B. ergo Virgine egimus vberius, nec ratio ipsa permisit, nos esse breuiore in aperiendis opulentissimis thesauris mysteriorum vitæ, mortisque Iesu Christi Domini nostri, seu negligentiores in colligendis diuitiis, quas in hisce mysterijs diuina Bonitas velut effudit. Quo fortasse illud assequemur, & vt qui in sacris templis abdita mysteriorum arcana pro concione explicant, animisq; audientium defigunt, & qui in scholis aciori disputatione eadem perscrutantur, id efficiant diligentius, veritatis rigore obseruato, ita & vt pietas à veritate fulciri, & veritas possit pietatis dulcedine vtilius inuestigari. Est enim sine veritate pietas imbecilla, & sine pietate veritas sterilis, & ieiuna. Adiecimus præterea disputationem de B. Iosepho, & de diuino Ioanne Baptista, vt cognitio de Christo Domino, & de eius præcursore, de B. Virgine, & de eius dilectissimo sponso à nobis integra, & perfecta daretur: vtque labor hic noster splendore illustrissimarum virtutum appareret illustrior. Visum deinde nobis est mysterijs Christi Domini iam patratis quæ peragenda speramus, adiungere, vt qui primum eius aduentum in carne passibili pro viribus explicuimus, secundum in impassibili studio non minore poneremus ob oculos. Tum vt perfectam de Christo Domino disputationem exhiberemus: tum etiam quia sic nobis est in animo totam hanc tertiam D. Tho. partem commentationibus illustrare, vt omiſsa de quatuor nouissimis tractatione, explicationē nostram in septem Sacramentis Ecclesiæ terminemus. Quæ nos eadem causā mouit, vt hoc etiam opere complexi simus vniuersalem omnium hominum resurrectionem: tum propter coniunctionem, quam habet cum Christi domini resurrectione: tum etiam quia necessario præcedit vltimum & vniuersale iudicium. Hæc sunt, studioſe lector, quæ vniuerso hoc opere pertractantur, ex

)(4 quibus

quibus factum est, ut & opinionem meam, & forte aliorum expectationem sua longitudine superarit. Verum hoc concedendum est amplitudini, & maiestati mysteriorum: quod tot ac tanta mysteria vel attingenda non essent, vel certe essent pro dignitate tractanda. Nunc vero illud vnum est nobis maxime in optatis, ut labor hic noster, qualis qualis ille fuerit quoquo modo iuuet, ut Christus Dominus, sanctissimaque eius mater eo loco à nobis habeantur, eo diligentur amore, quo vel ipsi digni sunt, vel nos reddere arctissime tenemur obstricti, utque hæc sacrosancta mysteria summa veneratione colantur ab omnibus, pro quibus illa eadem operatus est Dominus noster Iesus Christus: à quo tanquam à perenni bonorum omnium fonte, si quid occurret laude dignum,

intelliges emanasse: si quid vero minus considerate di-

ctum offenderis, solita benignitate

condonabis.

Vale.



INDEX